

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus

Caput 14: De conditione humana et breuitate huius vite (3)

Idem (Gregorius):

Omnis longitudo presentis vite punctum esse cognoscitur, cum fine terminatur.

Quidquid enim transire potuit subitum fuit.

Ducunt in bonis dies. Quia

omnis longitudo vitae praesentis punctus esse cognoscitur cum fine terminatur.

Quidquid enim transire potuit subitum fuit.

Glossa ordinaria, liber Iob, 21 (Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Ecce, beate uir, eorum gaudia diu narraueras; quomodo nunc asseris quod in puncto ad inferna descendant, nisi quod omnis longitudo temporis uitae praesentis punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur?

Cum enim ad extremum quisque perducitur, de praeterito iam nil tenet quia tempora cuncta delapsa sunt; in futuro nil habet quia unius horae momenta non restant.

Vita ergo quae sic angustari potuit punctus fuit.

Vt enim praediximus, in puncto stilum ponimus et leuamus.

Quasi ergo in puncto uitam tetigit, qui hanc accepit et amisit.

Potest in puncto hoc quoque intelligi, quod saepe hi qui diu in iniquitate tolerati sunt subita morte rapiuntur, ut nec flere ante mortem liceat quae peccaverunt.

Sed quia nonnumquam etiam uita iustorum subito fine terminatur, melius illud accipimus si hoc de eorum temporali uita sentiamus, quia quicquid transire potuit subitum fuit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 15.43 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., pp.778-9, ll.2-17).